

**05  
A  
678**



43

Q. D. B. V.  
EXERCITATIONEM ACADEMICAM  
THEOLOGIA NATURALI  
MEDIO PRÆSCIENTIÆ  
DIVINÆ CIRCA FUTURA  
CONTINGENTIA,  
Sub PRÆSIDIO  
VIRI  
*Nobilissimi, Amplissimi atq; Excellentissimi,*  
**DN. CHRISTIANI DONATI,**  
Log. ac Metaph. in Almâ hâc Leucoreâ Prof.  
Publ. celeberrimi,  
*Patroni atq; Praeceptoris sui omni observantiae*  
*culta etatem prosequendi,*  
**WILHELMUS ERNESTUS TENTZELIUS,**  
Greussenâ Thuringus,  
A. & R.  
Publico Eruditorum Examini  
subjicit  
*Ad d. XIII. Septembr. A. c 15 15 LXXIX.*  
*In Auditorio Majori.*

WITTENBERGÆ,  
Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

VIRIS  
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLIS-  
SIMIS, CONSULTISSIMIS, AC EXCELLEN-  
TISSIMIS,

DN. CASPARO ZIEGLERO,  
JCTO ET ANTECESSORI HUJUS INCLYTAE  
ACADEMIAE FAMIGERATISSIMO, SERENISS. ELECT. SAX.  
CONSILIARIO, FACULT. JURID. ORDINARIO, CURIAE PRO-  
VINCIALIS, CONSISTORII ECCLESIASTICI ET  
SCABINATUS ADSESSORI  
MERITISSIMO,

DN. AVO MATERNO AC PATRONO  
FILIALI OBSEQUIO AETERNUM COLENDO,

UT ET

DN. WILHELMO LEISERO,  
JCTO ET ANTECESSORI IN ALMA HAC  
LEUCOREA CELEBERRIMO, CURIAE ELECTOR.  
SCABINATUS AC FACULT. JURID. ADSESSORI  
GRAVISSIMO, ET p. t. DECANO  
SPECTABILI,

DN. AVUNCULO, SUSCEPTORI AC MAECE.

NATI FILIALI ITIDEM OBSERVANTIA AETATEM  
DEVENERANDO,

EXERCITIUM HOC ACADEMICUM

IN

OBSERVANTIAE DECLARANDAE MONUMENTUM

Ac

BENIVOLENTIAE PERENNANDAE INCITAMENTUM

SUBMISSE CONSECRO

WILHELMUS ERNESTUS TENTZELIUS.

05 A 628



Q. D. B. V.

Nfallibilitatem ac certitudinem  
divinæ scientiæ multi quidem  
hactenus sunt inficiati , præser-  
tim Vorstius , atq; in Scholaсти-  
cis nonnulli ; summa tamen in-  
tellectus divini perfectio, ut eandem ipsi adsigne-  
mus , omnino postulat . Qvum enim magna im-  
perfectionis sit , errori aut ignorantiae atq; mu-  
tabilitati esse obnoxium , quis talia de Deo , per-  
fectissimo illo ac supremo omnium Ente , adfir-  
mare audet ? Nam igitur divinæ scientiæ certi-  
tudinem ac infallibilitatem præsupponentes , de  
modo , qvō ea in specie circa futura contingentia  
cognoscenda versetur , investigando simus sollici-  
ti , oportet . In qvo quidem negotio nimium ra-  
tioni ac ingenio suo indulserunt Scholaſtici , dum  
capere non potuerunt , qvī constare divinæ præ-  
scientiæ sua certitudo infallibilitasq; posset , niſi  
eam mediō aliquō fieri dicatur . Medium autem

alii in Deo quæsiverunt, alii extra Deum: His futura contingentia vel ex reali ipsorum in eternitate præsentia, vel ex dispositione cause proximæ, vel ex determinatione cause liberæ à Deo præscrivi defendunt: Illorum nonnulli ad Ideas confugiunt, quas Deum de Futuris contingentibus ab æterno in mente sua habuisse autumant; plerique tamen decretum hic arripiunt, Deum futura contingentia in  $\Sigma$  per decretum suæ voluntatis cognoscere, adserentes. Sunt tamen nihilominus ex Scholasticis aliqui, qui cum Nostratibus Doctoribus futura contingentia immediatè ac in se-ipsis à Deo præsciri propugnant. Singulas sententias divinâ adjutus gratiâ, eâ, quâ potero, brevitate perlustrabo.

§. I.

**P**rimam itaque sententiam amplectuntur omnes ferè Thomistæ, antiquiores præsertim, (quorum longum texunt catalogum Vasquez Disp. LXIV. in I. Tho. Rod. de Arriaga tr. de Scientia p. m. 207. Smising tr. II. de Deo Vno & Trino d. 2. q. 4. atq; Augustinus Gibbon de Burgo Theol. School. D. 25. dub. 2. p. m. 494. qui & ipse huic sententiæ favet) quevis etiam se adnumerat Fonseca lib. 6. Metaph. c. 2. q. 2. S. 2. p. m. 104. seq. tametsi cum hâc & alias postea notandas conjungat, quod & Gibbon facit, ceu progressus docebit. Secundæ sententiæ patrocinantur secundum Smising. I. c. p. 360. Durandus, Thomas Argentinensis, Bannez atque Alvarez, quibus additæ Molinam & Becanum, citata-

citatos à Jo. Bapt. Gonet in Clypeo Theol. Thomist. p. 229. & Gibbon  
p. 513. Tertiae sententiae primus Patronus videtur esse Greg. de Valen-  
tia Tom. I. Comment. Theol. Disp. I. q. 14. p. 343. cui concinunt Al-  
varez de Auxil. Grat. lib. 2. d. 12. n. 3. p. m. 110. Granadus & alii, quos  
adductos & refutatos vide apud Arriagam l. c. & Gonet p. 229. seqq.  
Confer. & Gibbon l. d. p. 514. & 535. qui Granadum contra Arriagam  
suppressō utriusque nomine defendere videtur. Pro quarta sen-  
tentia pugnant Capreolus, Cajetanus, Bannez, Molina, Bonaventura,  
& alii plurimi, quos citant Smisius p. 357. Gonet p. 229. & Gibbon  
p. 330. quibus accenseas Fonsecam l. c. p. m. 116. Alvarezium l. c.  
Disp. 14. n. 2. & aliquod modō Hieron. Dungersbeym, Prof. olim Lips.  
in l. Tho. fol. 12. edit. Lips. an. 1516. Quintae sententiae auctor pri-  
marius est Scotus, quem sequuntur plurimi ejus sectatores, aliiq;  
Scholastici, quos referunt Vasquez, Smisius, Gonet, Gibbon ll. cc.  
His accedunt è Reformatis Theologi pariter atque Philosophi fer-  
mè omnes. Illos citatos invenies apud Magnif. Dn. D. Calovium,  
Præceptorem, Patronum atq; Hospitem meum filiali observantiā ater-  
num devenerandum, T. II. System. Theol. p. 526. seqq. Ex his potissi-  
mi Voëtius in Theol. Nat. & Reform. p. 300. Heereboord L. 2. Pnev-  
mat. c. 10. p. 199. Revius in Svarez. repurg. p. 630. Schulerus L. 2.  
Exerc. Philos. Exerc. II. q. 4. p. m. 149. Sextam denique & ultimam  
amplectuntur ex Scholasticis Svarez. D. 30. S. 15. n. 32. Becanus P. I.  
Theol. Tr. I. c. 10. q. 9. Vasquez l. c. c. 4. n. 19. quibus accenseri potest  
Petrus à S. Joseph Idea Theol. Speculat. p. 62. & 67. Nec planè ab-  
judere videtur Arriaga multis in locis, præsertim verò p. 209. n. 34.  
ubi hanc Conclusionem ponit: Deus ab aeterno immediate in scipis,  
at suō tempore exituris, cognoscit omnia futura, libera & necessaria,  
cō planè modō, quō ego immediate intueor lucentem ignem, & Petrum  
liberè ambularem. Nostrorum autem Doctorum quid opus est  
longum syrma texere, quum & Theologi & Philosophi Nostra-  
tes propè omnes hanc sententiam amplectantur, eamq; ut veram,  
orthodoxam atque genuinam unanimiter defendant.

§. II. Ut autem omnia cō felicius succedant, prælibanda  
sunt quædam juxta ductum Excellent. Dn. Præsidis, Patroni atq;  
Præceptoris mei summoperè colendi, in Collegio Pneumatico MS.  
superiori anno habitō. Tēnendum videl. circa primam opinionem,

non jam moveri dubium de hâc qvæstione, annon res future, eqvè  
ac cæteræ, qvæ ullô modô possibles sunt, in mente Dei jam ab æterno  
objectivè (ut nonnulli loqui amant) præsentes sint? hanc enim cum  
Alexandro, Bonaventura, Scoto, Durando, Gabriele, Gregorio, Mar-  
silio, & aliis Scholasticis Vasquezio p. 345. citatis adfirmare mini-  
mè vereor; eâ potissimum motus ratione, qvòd objectivè præsens  
esse juxta Vasquezium atque alios idem omnino sit, qvod actu co-  
gnosci. Conf. Petrus à S. Joseph Idea Theol. Speculat. Lib. I. cap. XI.  
p. 68. Deinde notandum, non litem nunc esse de eo, *annon res*,  
*qvæ olim futuræ erant, qvum jam sint, æternitati aliquo modo coëxi-*  
*stant?* Namqve nec hoc temerè negaverim, qvum omnis res, in  
qvocunqve instanti existat, coëxistat etiam æternitati, ut docet  
Arriaga p. 207. Ita & qvod secundam sententiam concernit, facile  
concedo, Deum certò præscire cujusvis causæ dispositionem, ad  
qvam sive necessariò sive contingenter effectus sit sequturus; qvæ-  
ritur verò, an ex eo Dei scientia sit infallibilis, qvòd Causæ dispo-  
sitionem, ad qvam actio sit sequtura, prævideat? Circa tertiam  
oberves (1) non litem nunc esse de eo, an Deus prævideat deter-  
minationem causæ liberæ? (id enim ambabus, qvod dicitur, mani-  
bus largior,) sed qværi, an prævisio determinationis Causæ liberæ  
sit Deo medium vel ratio certò ac infallibiliter cognoscendi effe-  
ctum contingentem futurum? (2) tenendum probè discrimen in-  
ter determinationem ac dispositionem Causæ. Qvippe determinatio  
Causæ liberæ in eo consistit, qvòd ea ad agendum aliundè im-  
pulsa, qvum ipsa de se actum quidem suspendere posset, pro-  
priò tamen arbitriò ac voluntate sese ad agendum quasi accingat  
atque determinet. *Dispositio* verò causæ huc redit, qvòd Causa  
agens præstò habeat causas qvasdam impellentes, sive externas,  
sive internas, per qvarum impulsum proximè velut disposita ad  
agendum reddatur. Sic, ut exemplò rem declarem, quando quis  
iræ adfectu correptus odium alit in socium suum immortale, ad-  
ecò, ut ipsi mortem minatus fuerit, si tempus locusvé aliquando  
tulerint, tunc dicitur homo ille *dispositus* ad interficiendum alte-  
rum. Si verò, obviam factò inimicò, iram suam exerere cupiat,  
gladiumq; in illum stringat, tunc dicitur esse determinatus. In  
qvar-

quartâ de hōc qvætitur: An ideo certò & infallibiliter à Deo cognoscantur futura contingentia, qvia eorum ideas jam ab æterno in mente suâ habuerit? Circa quintam notandum, qvætionem hic non esse (ut verbis *Magnif. Dn. D. Calovii l.c. p.531.* rem explicem) de dependentiâ rerum & actionum contingentium, qvà actiones sunt, aut Entia positiva, à Causâ primâ, an prævideantur à Deo, ut independenter ab illâ futuræ, qvod asserere est contradictionem in adjecto involvere; sed de prædeterminatione absolutâ voluntatis divine, utrum nempe prævideantur non nisi ut vi prædeterminationis istius futuræ, & è statu possibilium in futuritionis statum à prædeterminatione & decreto Dei efficaci, vi cuius non possint non fieri, evēbendæ? Ut autem hæc cò melius intelligantur, paucis adferam, qvid hujus sententiaæ Patroni & ex opposito Nostrates de prædeterminatione hâc statuant. Illi videlicet dispescunt eam juxta proportionem causæ physicæ & moralis in physicam & moralem: Illâ dicunt ex parte potentiae effienter propriè moveri à Deo voluntatem ad aliquid volendum, vid. Alvarez Disp. XXII. n. 1. eamq; iterum determinant aut ad actiones creaturarum omnes, ut Dominicani & ex Calvinistis Philosophis multi, in primis *Heereboord* Vol. I. D. 8. sq. aut ad supernaturales tantùm, ut *Burgersdicius* I. 2. Metaph. c. II. aut ad naturales tantùm, non verò liberas, ut *Jacobæus* I. 3. Metaph. c. 10. Moralem ita definit Alvarez l. c. qvòd fiat per svasionem internam, vel per externum consilium vel præceptum juxta modum Rheticum. Hanc autem, ait, non posse esse efficiacem, quantum est ex parte objecti. Qui plura hâc de re desiderat, adeat Bellarminum, Suarezium, Tannerum, aliosq; ve, qvos citat *B. Hülsemannus*, de Auxil. Grat. p. m. 304. qvibus adde Gibbon l.c. Disp. XXXIV. p. 694. seqq. Nostrorum Doctorum sententiam commodiori loco reservabo.

§. III. Videndum nunc est, qvibus qvæque sententia fundamentis nitatur. *Prima* itaq; opinionis Patroni tanquam clypeum nobis obvertunt auctoritatem *D. Augustini* multis in locis, ut ipsi qvidem sibi imaginantur, sententiam hanc adstruentis. Vnicum h. l. adferre satis erit. *Praeful* videl. ille *Hipponensis* L. II.

ad

ad Simplicianum sic loquitur: *Quid est præscientia, nisi scien-  
tia futurorum? quid autem futurum est Deo, qui omnia supergre-  
ditur tempora? Si enim in scientia res ipsas habet, non sunt ei futu-  
re, sed præsentes, ac per hoc non jam præscientia, sed tantum scien-  
tia dici potest.* Sed solius Augustini auctoritate non contenti nu-  
bem quasi aliorum testimoniorum adducunt, quod id multitudi-  
ne evincant, quod unica veritas negat. Quod fit, ut jam ad An-  
selmum, jam ad Bedam, jam ad Eucherium, jam ad Boëtium. & præ-  
ter hos ad Thomam quoque Aquinatem sese conferant, suffragia  
eorum impetraturi. Ego vero brevitatis gratia Lectorem hujus  
rei cupidum tum ad ipsos hujus sententiae Patronos, tum ad Va-  
sqvezium, Smisungum, & Gibbon remitto. Excogitarunt autem  
quasdam etiam rationes, quarum duas saltē, ne planè eas præ-  
terisse videat, hic allegabo. Primo nempe sic concludunt:  
Æternitas est duratio indivisibilis ac tota simul: ergo quod illi  
aliqvando coexistit, toti illi coexistit, ac per consequens semper  
& ab æterno. Tum vero ita colligunt: Qum Dei duratio sit in-  
finita ac æterna, non potest non complecti omne tempus, &  
omnium rerum durationes præteritas & futuras: si vero hoc, ne-  
cessum est, quasvis res aliqvando existentes, adeoque & futuras,  
in æternitate præsentes esse. Plura hac de re videri possunt apud  
Auctores allegatos. Hanc itaque præsentiam futurorum in æter-  
nitate realem unicum esse medium præscientiae divinæ, probant  
exinde, quia vix posset alia causa adsignari certitudinis scien-iae  
divinæ,

§. IV. Sed quam frivola haec omnia sint, & nullius mo-  
menti, jamjam patebit. Si enim Patrum dictoria §. præced. ad-  
ducta paulo accuratius consideremus, facile videbimus, eos à par-  
te Adversariorum minimè stare. Nam illi omnes ferè loquuntur de  
præsentia objectiva, nihilq; aliud volunt, quam res, priusquam sint,  
tam perfectè cognosci à Deo, ac si præsentes essent, ut docet Smi-  
sing. p. 127. cui gemella invenies apud Arriag. p. 207. Dixi autem  
de industria: Omnes ferè Patres loqui de præsentia objectivâ; ali-  
qvando enim eos de præsentia reali loquutos esse, negari nequit,  
de quo videndus Smising. p. 128. Evertendæ nunc sunt rationes,

quas

quas supra pro sententiâ expositâ stabilendâ ex adversariis adduxi. Videlicet in adserto illo priori: *Æternitas est duratio quædam indivisibilis ac tota simul*, vel sermo est de intrinseca æternitate, quâ nimis Deus intrinsecè durat; vel de extrinseca, cui scil. Deus intrinsecè durando coexistere concipitur... Jam si prius obtineat, verum quidem est, æternitatem illam indivisibilem in se ac totam simul esse, quum à parte rei, ut loquuntur, ipsa divina essentia sit; minimè tamen inde sequitur, propterea oportere omne id, quod ipsi aliquando coexistit, ita eidem coexistere, ut quandocunq; illa est, etiam hoc sit; sed sufficit, si ita coexistat, ut sit aliquando, quum illa tota ratione substantiæ sit. At si posterius, falsum sanè adseritur, quum æternitas ista extrinseca nihil aliud sit, quām quod alias dici solet, tempus imaginarium; id quod utique non totum simul est, sed (ad modum temporis realis) per successionem partium, aut ipsa infinita temporum successio; unde tantò minus necessum est, res futuras, eò quod, quum eveniunt, aliquam istius æternitatis partem attingant, statim per omnem istius tractum existere. Dehinc quod alteram collectiōnem concernit, certum quidem est, Dei durationem ita compleandi omne tempus, omniumvē rerum durationes, ut quandocunq; tempus est, aut quidquam durat vel existit, etiam Deus duret, atque adeo etiam quasvis res aliquando existentes in æternitate DEI, i. e. quum Deus æternus existit, aliquando præsentes esse; nulla tamen est consequutio, quasi propterea & res futuræ, antequam existant, realiter in æternitate, seu quandocunq; est æternitas, atq; adeo & ab æterno, præsentes esse debeant. Patet itaque, & infrà clariū patebit, commodè dici non posse, res futuras, quum adhuc futuræ sunt, seu antequam existunt, vel æternitati, vel ipsi Deo coexistere. Hoc autem cadente, cadit & alterum, quod scil. præsentia futurorum in æternitate sit ratio in Deo cognoscendi futura. Quid verò ad adversiorum rationem, quā hoc ipsum adstruere conati sunt, respondendum sit, ex sequentibus, arbitror, patebit: non enim opus esse, ut ad hanc præsentiam recurramus, & ingenia hominum, in re manifestissima, frustra torquemus, cum *Vasquezio* sentio.

B

§.V. At-

§. V. Atque ita patuit, nihil omnino roboris inesse sententiae propositae : Exponendum ergo est, quid alii Doctores, quos ego sequor, hanc de re sentiant : Illis videlicet opposita sententia recepta est, quae (dicente Vasquez. p.341.) etiam apud antiquos Scholasticos communior erat, & meliora multo habet fundamenta. Adserit verò duo : alterum est, res futuras, quā tales, non coexistere aeternitati, sive non esse presentes aeternitati ab aeterno presentiā reali, ac secundūm reales existentias ; sed solum in mente Dei presentiā objectivā : alterum verò est, eam presentiam, quam prior sententia adstruit, non esse Deo rationem vel medium cognoscendi futura. *Prius* ut confirment, urgent (& recte quidem) hoc ratiocinium : Si futurā, quatenus talia sunt, (h. e. quatenus nondum existunt, sed erunt tamen aliquando) essent realiter in aeternitate presentia, vel coexisterent aeternitati presentiā reali, sequeretur, quod res esset, antequam esset, quod tamen contradictionem implicat : esset enim jam realiter ab omni aeternitate, quā adhuc futura esset, adeoque quum adhuc nondum esset realiter, sed aliquando demum esse suum esset natura. Ita non minus valida est ista ratio, quam Durandus tradit apud Vasquez. p.341. quia, quae nondum existunt, nihilque habent proprii esse, & propriæ durationis, quae à suo esse non distinguitur, non possunt mensuræ & durationi alienæ coexistere : futura autem ab aeterno nihil in se fuerunt, nec aliquid propriæ durationis habuerunt : ergo nec ipsi aeternitati potuerunt coexistere. Quod quidem argumento Vasquez l. d. adversarios valde urget : sed conjungere cum eo juvat duas alias multo efficaciores ; quarum prima est, quia alias futura diu ante haberent suum esse, quam durationem ; illud nempe jam ab aeterno, hanc verò in tempore demum ; altera, quia alias res quælibet, quae esse suum reale bis produceretur, semel ab aeterno, ubi esse futura quasi incipit, & semel in tempore, ubi definit esse futura, atque actu esse incipit ; quorum tamen utrumque absurdum : prius quidem, quia, uti jamjam innui, duratio alicujus rei ab essentia realiter non distinguitur, quod probat Vasquez pag. 179. n. 18. posterius verò, quia de novo produci nihil aliud est, quam de novo accipere esse existentiae (juxta Smising. pag. 127.) quod autem ab

ab æterno habet esse existentiæ, (prout habet id, cui convenit ab  
æterno esse coexistentiæ) non potest de novo accipere esse; er-  
gò nec de novo produci. Porrò nonnulli hoc argumentum ob-  
jiciunt adversariis: Qvæ non coexistunt inter se realiter, non co-  
existunt realiter eidem tertio: Futura autem non coexistunt inter  
se realiter: Ergò nec coexistunt realiter æternitati. Subsumtio  
patet, tūm qvia aliàs res qvæque futuræ unà cum præsentibus at-  
que præteritis simul existerent, qvod tamen absurdissimum.  
Conf. *Vasquez.* pag. 342. num. 17. & *Petrus à S. Joseph* Idea Theo-  
log. Speculativæ Libr. I. cap. II. pag. m. 66. Nec infimi generis  
est hæc ratio, qvam alii adferunt, qvia, ut immensitas Dei com-  
plectitur omnia loca, ita & æternitas omnia tempora: Atqvi De-  
us non fuit in hoc mando, nisi postqvam mundus extitit. Ergò  
nec coexistit huic rei, aut illi, nisi postqvam res ipsa existit; ac pro-  
inde nec res alterà ex parte coexistunt Deo, nisi qvum ipsæ actu  
existunt. Hoc argumento utitur *Scotus* apud *Vasquezium*, *Petrus*  
*à S. Joseph* l. c. pag. 66. 67. & omnes Doctores Scholastici, si *Jo-  
anni de Rada*, pag. 491. credimus, qvi & ipse in eo elucidando  
prolixus est. Stat itaqve sententia: *Futura contingentia, qva-  
renus talia, non coexistere æternitati realiter.* Hoc autem evicto,  
facilè & posterius probari potest, nec prævideri scil. ista à Deo ex  
ipsorum reali in æternitate præsentia, qvod præsto duplicitatio-  
ne: Primum dico, si hæc futurorum in æternitate præsentia  
commentitia ac fictitia est, qvod & refutando & adserendo fusè  
hactenus ostendi: ultrò seqvitur, eam non posse esse medium  
divinæ præscientiæ; Nam non entis nullæ sunt & operationes  
& affectiones. Deinde verò ostendere nonnulli conantur, qvòd,  
etiamsi hæc præsentia realis esset possibilis, non tamen ea possit  
Deo esse ratio cognoscendi futura. Inter qvos primas tenet *Scotus*,  
qvi dupli argumento id evincit: Prius est, qvia res contingens  
est futura absolute: ergò secundum hoc esse futurum, & non tan-  
tum secundum esse, qvò dicitur semper præsens esse æternitati,  
est à Deo præscita. Neqve enim est intelligibile, qvomodo res,  
qvæ in æternitate præsens est, certâ & infallibili scientiâ à Deo  
cognita esse queat, ut futura, qvia sub ratione præsentia in æter-  
nita-

nitate aut coëxistentiæ cognoscuntur ut præsentia, vel coëxistentia, non autem ut futura. Eodem argumento uti videtur Petrus à S. Joseph I. c. his verbis: *Etsi talis præsentia gratis admittatur, primaria ratio cognoscendi futura ab ea sumi non debet; prius enim est, quod res aliqua in se sit futura, quam quod Deo realiter coëxistat ab æterno: cum ei sic coëxistere non dicatur, nisi quia in se verè aliquando est futura; in eo autem priori res futura est in se cognoscibilis, eo ipso quod verè & determinatè futura est; ergo debet à Deo cognosci, independenter à predicta coëxistentia.* Hæc ille. Posterior Scotti ratio est hæc: *Quia, datò, quod res futuræ realiter præsentes sint æternitati, sequeretur, Angelum, qui est in ævo, secundum naturalem suam scientiam etiam certò præscire, quid futurum sit, quod tamen falsum est.* Conseguutionem probat, quia ævum est omnino simplex, coësistens toti tempori: *Angelus igitur, qui est in ævo, præsens est toti fluxui temporis, & omnibus ejus partibus: Esi futurorum in æternitate præsentia est medium præscientiæ divinæ, quæ futura contingentia, sequeretur, quod etiam angelus, mediante illâ præsentia futurorum in suo ævo, futura præcognoscat.* Eadem etiam ratione urgent adversarios Arriaga p. 208. & Vasquez p. 342. Qui plura & de adductis & aliis rationibus desiderat, adeat Arriagam, Radam, Vasquezium, Smisingum, P. à S. Joseph, Voellum II. cc. aliosque, quos enumerare supersedeo.

§. VI. Progredior nunc ad Secundam sententiam, cuius fundamenta hòc ordine recenset Smisingus p. 360. Primum est, quia, quum ultima dispositio causæ ad effectum & effectus sint simul tempore, qui novit illam, novit effectum. Deus autem novit illam, ergo etiam novit effectum. Secundum est, quia futura contingentia hominibus, prudentioribus præsertim, ac multò magis angelis per conjecturam ex dispositione causæ & circumstantiis factam non raro præsentuntur: ergo multò magis divinus intellectus eadem non solum intellectualiter ex dispositione Causarum & circumstantiis perspecta atque prævisa habebit. Tertiò, dicunt adversarii, multorum auctorum (quos recenset Smisingus Tr. II. Disput. 6. q. 7. num. 191.) sententiam esse, Deum in seipso videre omnes res creatas tanquam in causa virtualiter eas conti-

nent-

nente; ergo, cum proportione, futura contingentia in causis secundis virtualiter ea continentibus praevideri posse. Quartò urgent dicta aliqua Scripturæ, in quibus prædicantur futura contingentia ex dispositione causarum: Ergo, dicunt, Deum, qui talia prædicit, ejusmodi futura contingentia præscivisse ex dispositione Causarum.

§. VII. Respondeo ad argumentum *primum*, non seqvi ex eo, quod ultima dispositio causæ ad agendum & effectus sint simul tempore, propterea opertere eum, qui illam novit, & istum nosse; quoniam certè multa simul tempore sunt, quorum unum quidem novimus, cætera verò planè ignoramus. Tùm autem falsum existit, ultimam causæ dispositionem & effectum semper simul tempore esse, quandoquidem sanè causa libera (de quâ hîc cum primis sermo) nonnunquam satis est disposita diu antè per causas impulsivas, quum internas tūm externas, quām se se ad agendum per se metipsam determinet. Ad *secundum* dico; Licet negari nequeat, ex dispositione Causæ proximæ eventum futuri contingentis conjecturaliter colligi posse atque cognosci ab humano intellectu, ac multò magis ab angelico: minimè tamen exinde seqvi, Deum ex vi talis dispositionis causæ & circumstantiarum infallibiliter effectum futurum contingentem prævidere: ratio est, quia ex vi talis dispositionis causæ non potest haberi nisi scientia conjecturalis de futuro contingentí, quod exinde probo cum *S. sing.* l. c. quoniam non potest major esse connexio dispositionis causæ, (per quam ipsa se olim determinatura est ad effectum producendum) cum ipso effectu in ratione scibilis, quām in ratione entis, (hæc enim sunt proportionata) *Conf. P. à S. Joseph p. 65.* unde quum ex vi talis dispositionis non sit in esse entis omnino & adæquatè determinata causarum istarum connexio cum effectu contingentí (quoniam illæ de se sunt indifferentes ad agendum, ut proinde effectus ille possit fieri & non fieri,) sed solùm ex parte & inadæquatè (quat. videlicet talis ad producendum aliquem effectum causæ proximæ dispositio majorem cum effectu futuro connexionem habere videtur, quām cum non futuro) exinde quoque nihil obstat videtur, quod minus in esse scibilis non omnimodè, sed saltem par-

tialiter determinata dicatur ista connexio : ac proinde recte quidem judicari de effectu futuritione contingentis possit conjectura probabili atque congruenti, non vero certò & infallibiliter : Qvum vero in Deum non cadat scientia conjecturalis, sed certa & infallibilis, ideoq; ultrò consequitur, Deum minimè ex vi dispositionis Causæ proximæ ad producendum aliquem effectum futura contingentia infallibiliter prævidere. Ad tertium respondeo, verum quidem esse, Deum in seipso videre omnes res creatas, tanquam in causa virtualiter eas continentem, hoc est, Deum ex seipso ac per seipsum nosse, quænam res à se produci valeant : & rursus, videre etiam Deum res contingentes in causis secundis, tanquam virtualiter eas continentibus, hoc est, intelligere, quas res contingentes quæque creatura efficere valeat : sed enim verò illud h. l. probandum, Deum res contingentes, quas actu causæ secundæ efficient, quod eadem futuræ sint, ex sola istarum ad agendum dispositione, prævidere atque cognoscere, id quod quidem ex antè suppositis minimè consequitur. Quod quartum attinet, videntur mihi cum Smisingo l. d. illa Scripturæ dicta indicare, quod Deus videat res cum suis causis, ut ita dicam, id est, videat, quid ex Causa secunda futurum sit, sive absolute, sive sub conditione ; non autem in suis causis, ut adversarii somniant. Sed de his ex Scriptura petitis aliud judicat forum.

§. VIII. Tertiæ porro sententiæ Patroni multas ex cogitarunt rationes, quas prolixè recensent Gonet p. 231. Gibbon p. 535. 536. & alli, è quibus duas saltem, easq; præstantiores, h. l. adferam. Primum igitur urgent Greg. de Valentia, & Alvarez, hoc argumentum : Si effectus necessarius cognoscitur certò ex causa necessaria non impedibili ; sequitur, quod etiam in causa contingentia completem determinata & non impedienda, possit certò cognosci ejus effectus contingentiter futurus : Sed prius est verum, è quod talis causa habet infallibilem ordinem ad talem effectum, sicut cognoscimus infallibiliter, quod O. homo sit risibilis, quia est rationalis : E. & posterius. Alterum fundamentum proponit Alvarez l. c. his verbis : Deus in decreto absoluto & effaci suæ voluntatis certò cognoscit futura contingentia, etiam libera : ergo

ergò etiam illa cognoscit in determinatione completa causarum secundarum non impediendarum. Patet consequentia: nam in ipsa motione, quā Deus determinat causas secundas ad suos effectus contingentes & liberos, est intentio Dei, quæ deficere non potest. Hæc Alvarez.

§. IX. Respondeo ad primum, non eqvidem negari posse, à nobis, qvi futura non nisi ex certo indicio colligendo prævidemus, effectum contingentem futurum certò cognosci ex completa causæ non impediendæ determinatione; qvin nōsse etiam Deum, certò seqvuturum effectum ad dictam causæ determinationem; interim tamen quæri, num ista determinatio causæ sit ipsum illud medium, cuius interventu Deus cognoscat effectum futurum? Argumentum, qvod Alvarez profert, duplii falsa nititur hypothesi. Primum enim supponit, Deum in decreto suæ voluntatis absoluto cognoscere futura contingentia, qvod tamen impium proflus esse, infrà patebit. Deinde etiam nemo sanus adseret, Deum determinare causas secundas ad suos effectus contingentes & liberos. Nam, ut benè notant plerique Jesuitæ, ex Nostris Jac. Martini, Scheiblerus, alii, illa determinatio vel (ut alii vocant) prædeterminatio (1) imponit omnibus actionibus creaturarum necessitatem, adeoque tollit agentium libertatem. (2) Denm constituit causam proximam determinationis etiam ad hoc malum. (3) Aberrationes causarum secundarum in monstris & alias Deo absurdè tribuit. (4) Inde seqvitur, non posse hominem melius qvid agere, qvām agit, nec posse plus boni facere, qvām facit, vel mali omittere, qvām omittit, qvod tamen absurdum.

§. X. Restat nunc, ut adferam rationes quasdam, qvibus, Deum neqve ex dispositione causæ proximæ, neqve ex determinatione causæ liberæ ad effectum producendum futura prævide-re, dilucidum fieri queat: Primò enim in utraqve istarum sententiatarum quæstio subinde redit: An omnino Deus immediatè illum dispositionem aut determinationem prævideat? num verò interveniente aliquo medio? Jam autem uti medium nullum hactenus hic ostenderunt, qvotqvt contrarium defensant, ita

nec

nec inveniri ullum aut adduci à quopiam ex vero posse, mihi longe certissimum est. Sed si immediate dispositionem illam causæ, aut ipsius determinationem à Deo prævideri dixerint, quid causæ fuerit, quamobrem non æquè effectum inde consequuturum à Deo immediate prævideri putent dicendum? Deinde sic libet argumentari: Si Deus prævideret alterutrō dictorum modorum futura contingentia, discursivæ scientiæ expers haud esset, utpote qui tūm unum post aliud, & rursus unum propter aliud esse aut futurum esse cognosceret, atque adeò ratiocinandō vel in hanc vel in illam partem quædam colligeret: quæ tamen omnia de Deo, nisi qui planè ipsius simplicitatem perfectionemq; susq; deq; habeat; adserere nullus audebit: E. Neg, refert (dicente P. à S. Joseph l.c. pag. 66.) quod voluntatem creatam (Deus) dicitur supercomprehendere (ut Molina vult, de quo consule Arriagam & Gonet) hoc enim etenim verum est, quatenus totam vim illius infinitè clarius, ex parte ipsius intellectus, cognoscit quam homo, vel etiam angelus; unde tamen non sequitur, quod in ea certò cognoscatur effectum futurum. Tertiò idem præterea perfectioni absolutæ scientiæ divinæ derogat, quum certè multò perfectior foret, si Deus futura contingentia ex sola perspicacitate sui infiniti intellectus immediate cognosceret, quam si, periculosa hanc sententiā admissa, ex antecedente revera inferret consequens, atque ab uno cognito ad alterum progrederetur. Quartò denique nec simpliciter infallibilis adhuc esset divina scientia. Etiamsi enim Deus videret dispositionem causæ, nec tamen actu eodem simul cum dispositione causæ effectum inde resultaturum cerneret, adhuc certè ignoraret, num infallibiliter effectus ad eandem sit consequuturus, quum causam liberam contravenire isti dispositioni, adeoq; etiam effectum non producere posse, ex supra dictis satis liqueat.

§. XI. *Quartæ* sententiæ propugnatores habent quidem rationes quasdam, quibus hanc suam opinionem plausibilem reddere laborant, sed illæ & petunt principium, & propterea falsæ sunt, adeoq; responsione haud indigent: ne tamen propterea eas siccō

siccō pede transisse videar, unicum saltem in medium proferam.  
Dicunt videlicet Adversarii, essentiam divinam non solum esse  
sufficientem in ratione principii ad cognoscenda futura, sed etiam  
in ratione objecti imitabilis à rebus futuris, adeoq; Deum per  
suam essentiam, ut ideam futurorum, cognoscere futura.

§. XII. Sed hoc argumentum solutu est facillimum. Pri-  
mùm enim principium petitur; hoc enim est probandum, qvòd  
essentia divina in ratione objecti imitabilis à re futura sit suffici-  
ens principium cognoscendi ejus futuritionem, qvod tamen ad-  
versarii præsupponunt, falso fundamento falsam opinionem su-  
perstruentes. Deinde verò dubium mihi adhuc videtur, utrum  
imitabilitas ista divinæ essentiæ rationem ideæ omnino habeat?   
Qvandoq; idem sanè idea formaliter aliq; repræsentativum est,  
dici verò haud potest, imitabilitatem istam formaliter repræsen-  
tationem involvere. Et licet deniq; admitterem, essentiam  
divinam sub ratione imitabilis à Creatura esse ideam divinam,,  
ipsam tamen hōc modō consideratam non posse esse medium di-  
vinæ præscientiæ ratione futurorum contingentium, haud ex va-  
no auguror. Qvum enim (ut verbis Smisingi p.357. sententiam me-  
am proponam) essentia divina tām sit imitabilis à re nunquam fu-  
tura, ac est imitabilis à re futura, non potest hæc imitabilitas es-  
sentiæ divinæ precisè sumta, esse sufficiens ratio repræsentandi fu-  
turitionem effectū magis, qvām non-futuritionem.

§. XIII. Reliqvum nunc est, ut oppositam sententiam  
adstruam, qvæ adserit, Deum futura non præscire per ideas, qvas  
in mente sua jam ab æterno habuit. Nolo autem hīc prolixus  
esse, sed Lectorem hujus rei cupidum ad B. Gerhardum Tom. II.  
LL. Theoll. Loc. IX. de Providentia, §. 24. seqq. Vasquez. D. 64.  
in I. Tho. pag. 360. seqq. Rod. de Arriaga l.c. pag. 227. seqq. Smi-  
singum Tr. 3. d. 2. qvæst. 7. pag. 406. seqq. aliosq; tūm è Nostra-  
tibus tūm aliis remittens, dico saltem illos, qvi Ideas in Deo sta-  
tuunt, vel intelligere ideas realiter ab essentia divinâ distinctas,

C

vel

vel ratione tantum : Prius autem dici nequit, tūm qvia aliās ca-  
deret in Deum compositio realis, tūm qvia id non permittit pura  
ejusdem actualitas ; hæc enim passibilitatem omnēm à Deo pla-  
nè excludit, qvam tamen species intelligibilis in isto subjecto,  
à qvo debeat recipi, necessariò supponit : Accedit, qvòd de Deo  
istud dici haud possit, qvamobrem aliās homini species intelligi-  
bilis est necessaria : neqve enim vel is opus habet specie pro-  
ptereà, ut uniretur ipsius potentia intellectrix cum objecto inde  
distante ; qvoniam Deus per omnipresentiam suam jamtūm  
intimè adest rebus omnibus : vel ut determinaretur ejus poten-  
tia ad certum objectum intelligendum, ceu de se indifferens ad  
intelligenda plurima alia; qvandóqvidem divinus intellectus tan-  
qvam purissimus actus à seipso jam satis determinatus est ad qvæ-  
vis cognoscibilia intelligenda, neqve ullam sui determinationem  
adhuc aliunde expectat. Si verò per ideas ratione tantum à di-  
vina essentia distinctas fieri isti dicant, tūm vel speculativam  
intelligent, vel practicam ; qvarum illa nihil aliud est, qvam for-  
ma aut ratio mentis divinæ, qvâ res cognoscibilis, uti est, in men-  
te divinâ exprimitur : hæc verò istiusmodi forma, secundūm  
qvam Deus aliquid producere decrevit : Sed per neutrām tamen  
futura contingentia à Deo præsciri posse hōc argumentō cum  
**Excellent. Dn. Præside** loc. dict. evincere conabor : Speculativa  
idea vel prorsus non differt à divina scientia etiam qvâ conce-  
ptum nostrum, vel si differt, est veluti terminus cognitionis di-  
vinæ, ad modum speciei expressæ, qvæ in hominibus datur, con-  
ceptus : Sed neutrō modō illa medium divinæ præscientiæ dici  
potest : non priori, qvia medium illud ad minimum concepti-  
biler differre ab ipsa scientia oportet : neqve etiam posteriori,  
qvia sic idea tanqvam terminus cognitionis eadem est posterior,  
qvum tamē medium istud scientiâ prius esse debeat. Accedit, qvòd  
non futurorum tantum, sed & præteriorum, qvinimò mere pos-  
sibilium, adeoqve & non - futurorum ideæ speculativæ in mente  
divinâ dentur, secundūm ipsorum adversariorum doctrinam ; un-  
de si ideæ istæ essent medium divinæ præscientiæ , sanè non  
mi-

minus pro futuris, quam pro non-futuris tale quid existent. Porro quod practicas ideas attinet, oporteret certe & pro malis futuris cognoscendis istiusmodi ideas in Deo dari, quod tamen idem est, ac si diceres, Deum ab aeterno secum decreuisse mala aliquando producere, quod tamen impium adserum esse nemo dubitaverit.

§. XIV. Quod *Quintam* sententiam attinet, quae ut communissima, sic periculisssima sanè est, adserens, Deum certò ac infallibiliter cognoscere omnia futura contingentia in decreto, sive prædeterminatione voluntatis suæ; ingens sanè argumentorum est numerus, quæ passim pro ea confirmanda ipsius auctores inculcare solent: ego tamen contentus ero, si principale eorum argumentum diluerim, quod Voëtius loco citatō pag. 300. his tradit verbis: *Quia futura in eo certò præcognoscuntur, à quo hoc ipsum sortiuntur, quod sint certò eventura.* Quum inde habent suam cognoscibilitatem in genere futuri, unde habent suam futuritionem. Verum quum hoc sortiantur à decreto divino, seu à divinæ voluntatis determinatione, in ea cognoscuntur, quod sint eventura certò. Rationem consequentiæ dicit esse, quia effectus futuritio sufficienter cognoscitur in causa, quæ vult, & sufficiens & efficax est, ut effectus ille sit. Quæq; non tantum determinat causam secundam ad illum effectum in tempore, sed & omnes ejus circumstantias. Verum ubi est divinum decretum, ibi adest talis causa. Ergo. Idem cum Voetio urgent Vasquez, Becanus, aliiq; haud infimi nominis & Scholastici & Calviniani.

§. XV. Sed ad hoc argumentum paucis respondeo,  
duo in isto supponi ceu vera , qvæ tamen oppidò falsa exi-  
stunt : primò nempe res qvasvis sortiri suam futuritionem  
à decreto divino , seu propterea rem qvamq; futuram esse ,  
qvòd à Deo sit absolutè decreta ; deinde Deum determinare  
causas qvasvis ad suos effectus in tempore juxta certas cir-  
cumstantias producendos ; qvorum uti posterius alibi satis  
profligatum est ; ita falsitas prioris ex mox dicendis luce me-  
ridianâ clariūs patescet. Perlegi etiam merentur , qvæ præ-  
clarè B. D. Jac. Martini in Aug. Conf. contra Bocanum p. m.  
148. pro solutione hujus argumenti adfert.

§. XVI. Jam igitur congeram rationes contrarias ,  
qvæ hanc sententiam rejiciendam atq; impugnandam esse  
haud obscurè arguent. Primum scilicet , si Deus præco-  
gnoscit futura contingentia in decreto voluntatis suæ , dis-  
cursus in Deo ponitur , qvasi non possit Deus per simplicem  
intuitum videre futurum , sed solùm qvasi deveniendò ex  
principiis allatis , nempe ex consideratione suæ voluntatis ,  
immutabilitatis & omnipotentiæ , in notitiam futurorum :  
qvem tamen modum cognoscendi , utpote cum magnâ im-  
perfectione conjunctum , à Deo , omnes perfectiones , qvæ  
modò sunt cogitabiles , eminenter in se continente , remo-  
vendum esse , orthodoxi Doctores unanimiter statuunt . Ulte-  
riùs ab hâc sententiâ nos avocant innumera illa absurdâ , qvi-  
bus scatet , qvorū unicum saltem examinare h.l.sufficiat . Certè  
enim , si Deus in decreto ac prædeterminatione suæ voluntä-  
tis qvælibet futura præcognoscit , hoc est , si ideo aliq; futu-  
rum esse prævidet , qvia id , ut esset aliquando , absolutè de-  
crevit , nihil mali injustiæ unquam eveniet , cuncta qvæ , qvæ  
futura sunt , fiēnt aliquando absolutâ ac inevitabili necessi-  
tate . Patet hæc posterior seqvela : Qvæ enim dependent  
à decreto ac prædeterminatione voluntatis divinæ , cui resi-  
stere haud qvicq; valet , illa necessaria , non autem con-  
tingentia esse debere , qvilibet videt ; ubi enim effectus &  
causæ

causæ nexus est indissolubilis, ibi locum non habet contingentia: Hic autem talis connexio existit, necessariò igitur omnis tollitur contingentia, qvod tamen quām absolum maximè, veritatiq; repugnans existat, in proposito est. Ex hoc autem aliud enascitur monstrum: tollitur enim libertas voluntatis agentis creati. - Si enim omnia necessariò fierent, hoc est, ita ut non possent non fieri, nullus liber effetus ab agente libero produceretur, sed omnia cum necessitate fatali essent conjuncta, quoniam agentia creata non possent non exequi, quæ fuerint à Deo absolutè decreta ac determinata: Et ex hoc facile patescit, à fato Stoico sententiam hanc liberari haud posse, qvod tamen hactenus ex Scholis & Ecclesiis unanimi suffragio eliminatum fuisse constat. Priorem consequentiam mei argumenti exinde confirmo, quia à Deo decretum antè (juxta hypothesin adversariorum) & prædeterminatum esset: qvod autem à Deo decretum ac prædeterminatum est, non potest non esse bonum, (quoniam id in tempore facturus est) nisi Deum omnium malorum ac peccatorum, quā talium, causam & auctorem facere quis velit, qvod tamen ceu impium dogma ab omnibus Christianis merito damnatur. Conferri de his omnibus latius potest *Magnif. Dn. D. Calovius* l. c. à p. 532. usque ad 552. Denique tale formare libet argumentum: Deus non solum cognoscit futura absolute, sed etiam futura sub conditione, circa quæ quidem non est aliquod ipsius decretum (absolutum puta.) Ergo decretum non est medium in Deo cognoscendi futura. Consequentia in aprico est. Antecedens cum *Excellent. Dn. Præside* probo inde, quod alias Deum & actu ignorare multa, quæ tamen scire posset, & nescire quædam potuisse, quæ quidem actu intelligit, consequetur. Ratio hujus illationis est, quod negari non possit, Deum & valuisse plura, ut essent sub conditione futura, prædefinire, quām quidem actu / ex hypothesi adversaria.

riorum) ab ipso decreta sunt. Et potuisse quædam conditionatè futura, quæ decreverit, etiam non prædefinire, imò, ut ne quidem sub conditione essent, decernere: illud ob infinitam Dei potentiam, quâ is, quicquid in se possibile est, suâ voluntate definire potest; hoc propter eligen-  
di libertatem, quæ idem in decernendo utitur.

§. XVII. Tandem quod *Sextam* sententiam con-  
cernit, esto pro ejus confirmatione *Adsertio I. Deus fu-  
tura contingentia immediatè in seipsis certò  
atq; infallibiliter cognoscit.* Hanc probare nunc  
adgredior duplici modō, indirectè & directè. Primum enim  
necessariò hoc adsertum consequitur ex remotione medio-  
rum, quæ constitui solent, hactenùs à me, quantum inge-  
nii imbecillitas permisit, præstitā. Deinde nullus dubito,  
qvin ea satis firmis rationibus adstrui queat. Primum ita-  
que argumentum sit hoc: Qvicunq; modus futura contingen-  
tia cognoscendi est perfectior, ille meritò Deo tribuitur.  
Atq; modus, qvô futura contingentia immediatè in seipsis  
cognoscuntur, est perfectior. Ergò Deo est tribuendus. De  
Majori ut dubitemus, ejus evidentia non permittit. Min.  
prob. qvia cognitio, qvâ aliquid in se cognoscitur sine me-  
dio, est perfectior illà, qvâ quid cognoscitur in alio, perq;  
aliquod medium, qvum prior sit intuitiva, posterior abstra-  
ctiva, intuitivam autem abstractivâ cognitione perfectiorem  
esse, nemo negabit.

§. XVIII. Deinde sic infero: Qvocunq; adser-  
tò salvari neqvit divinæ scientiæ simplicitas atq; unitas,  
illud non est admittendum; sed hòc adsertò: Deus aliquò  
mediò præscit futura contingentia &c. Ergò. Majoris evi-  
dentiæ probationem haud svadet. Min. probo exinde, quo-  
piam, admissò hòc, ad minimum duplex in Deo statuenda  
esset

esset scientia, una immediata, altera mediata: priori intel-  
ligeret præsentia atque præterita, posteriori verò futura.  
Sed ecce porrò, quid monstri prætereà alat ista sententia!  
Certè enim sequeretur unius ejusdemq; rei saltem pro diver-  
sō tempore duplicem in Deo dari scientiam. Ita enim futu-  
ra, quum adhuc futura essent, cognoscerentur in aliquo me-  
dio, quum autem jam actu essent, immediatè à Deo percipe-  
rentur. Quod verò quam indignum dictu cogitatue de  
Deo existat, nemini intellectu difficile erit.

§. XIX. Atque inde jam *Adsertio II.* ultrò conseqvitur,  
*Deum videl. per solam intellectus sui perspi-  
caciā futura contingentia prævidere atq;  
præcognoscere.* Est tamen & ratione aliquâ hoc ad-  
sertum declarabile, ex eo nempe, quod ista intellectus divi-  
ni perspicacia infinitæ virtutis ac perfectionis sit. Nam  
quum infinitum beat complecti omnes perfectiones, quot-  
quot modò sunt cogitabiles; cognitio autem immediata  
sit perfectio simpliciter talis; necessariò sanè conseqvitur,  
quod intellectui divino infinito haud sit necessum, ut quo-  
quam medio ad aliqvid prospiciendum provehatur.

Et hæc brevibus & pro ingenii modulo de ve-  
xatâ hâc quæstione in præsenti delibare conatus fui, accura-  
tiorem & prolixiorem ejusdem explicationem aliis relin-  
quens, Lectoremq; Benivolum obnoxè rogitans, ut primum  
ingenii in hoc studiorum genere fœtum benignè acci-  
pere, conatusq; juveniles æqui boniq;  
consulere velit.

*Enti verò illi summo ac perfectissimo, eiqz, soli  
sapienti, soli aeterno, soli infinito, gratias ago nun-  
quam intermorituras.*

• \$ (\*) \$ •

San-



Ancta Dei summi & veneranda sci-  
entia, nosse  
Post-ventura simul; qvo medio  
atq; modo,  
Maxima, TENTZELI, Tibi, Patris Agalma,  
probare

Cura, & natura hoc erudiente facis.  
Macte Tuis ausis! Facilis labor ille futurus,  
Divino è verbo Numa quando do-  
ces.

*Gratulab. f.*

**CHRISTIANUS DONATI,**  
P. P.

---

**Q**Vò Temet MAGNI vestigia clara PARENTIS,  
Et qvò MAJORUM Virtus & splendida fama  
TE ducunt, seqveris, cunctis laudantibus ausa  
Hæc tua, dum Sophien Lingvis Studiisq; sacratis  
Ut svavi nexu, sic mente adjungis alacti,  
Certus, qvæ ferat hæc conjunctio commoda cunctis,  
Qui lætum studiis optant imponere finem.  
Optime TENTZELI, ceu pergis, pergit felix:  
Gaudia erunt PATRI hinc, PATRIÆ quoque commoda, sicq;  
Doctrinâ eximiâ & vitæ probitate coruscans  
Præclaros cunctis natales ritè probabis.

*Hisce DN. S. I. O. TENTZELIO  
applaudebat*

**M. Georg. Frider. Meinhardus.**

❧(o)❧

ULB Halle  
004 207 556

3





# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Centimetres

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches

43  
*D. B. V.*  
**NEM ACADEMICAM**  
*Ex*  
**IA NATURALI**  
*De*  
**ÆSCIENTIÆ**  
**RCA FUTURA**  
**NGENTIA,**  
**PRÆSIDIO**  
*VIRI*  
*ssimi atq; Excellentissimi,*  
**IANI DONATI,**  
Almâ hâc Leucoreâ Prof.  
celeberrimi,  
*ctoris sui omni observantiae*  
*item proseqvendi,*  
**NESTUS TENTZELIUS,**  
nâ Thuringus,  
A. & R.  
ditorum Examini  
subjiciet  
abr. A. cI, I, c LXXIX.  
litorio Majori.  
ENBERGÆ,  
HENCKELII, Acad. Typogr.

